Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0001-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0002-4

1783.

*
1. Bornius: Corollarium juris criminalis XI. Programma, quo ordinarius senior ceterique assessores fac. jur. memoriam Bornianam indicunt.

*
2. Silversteinius: Animadversio IV ex jure antiquo. Programma, quo trium superiorum facultatum decani seniores et reliqui assessores memoriam Silversteinianam indicunt.

3. Bauer, Henricus Godofredus, fac. jur. procancellarius: De vasallo ad pecuniam, qua antecessor debitum feudale solvit, ejus heredi restituendam obligato. Programma, quo sollemnia doctoralia Augusti Gottlieb Fritzschii indixit.

4. Bauerus, Henricus Godofredus: Regulae: si vinco vincentem te, vinco te ipsum, perperam in concursu creditorum locum dari

1783.

5. Bauerus, Henricus Eckhardus: Pacto hereditatis renunciativo perfecto, caeteros renunciati legitimos heredes, renunciante remotiores, vel omnino non, vel in sola legitima admittendos esse.

6. Bergold, Joann. Gottlob: De jurejurando calumniae tum generali, tum speciali abolendo.

7. Bienerus, Christianus Gottlob: Historia legum Wisigothicarum in regno Hispaniae vetere Spec. I: De legibus Theodoricianis et codice Alariciano ad indicendas commilitonum selectissimorum disputationes.

8. Bortz, Georgius Henricus: Praecipua astronomiae physicae principia ad motus lunae una cum inaequalitatibus ejus explicandos necessaria

9. Einertus, Christ. Gottlob: Animadversiones de morgengaba

10. Frissel, Augustus Guilielmus: Observationes varii juris argumenti

1783.

11. Guntherus, Christianus Augustus: De lege naturae ex mente Ciceronis.

12. Kindius, Jo. Adamus Theophilus: De speculi Saxonici usu et auctoritate. Programma, quo orationem auspicalem indicit.

13. Kindius, Jo. Adamus Theophilus: Cessio hereditatis a peregrino in indigenam facta utrum jus detractus tollat nec ne?

14. Kindius, Jo. Adamus Theophilus: De dote a detractu haud libera.

15. Puettmannus, Jos. Lud. Ern., fac. jur. procancellarius: (Delinquendi occasio ~~et~~ an et quatenus delictum ejusque poenam minuat?). Programma, quo sollemnia inauguralia Chr. Gottl. Knesteri indicit.

16. Puettmannus, Jos. Lud. Ern.; fac. jur. procancellarius: (De pupilla a tutore ejusve filio haud ducenda ad orationem D. Marci) Programma, quo sollemnia inauguralia Caroli Friderici Meyeri indicit.

1783.

17. Puettmannus, Jo. Lud. Ern.: Selecta capita de jure bibliothecarum

18. Puettmannus Jo. Lud. Ern.: De moderamine in culpatae tutelae

19. Rau, Christianus: De discrimine inter testamentum militare et testamentum pagani in hostico conditum.

20. Roessig, Carolus Gottlob: De finibus disciplinae Cameralis oeconomiae publicae, politiae, politices et statisticae regundis.

21. Segerus, Joh. Theophilus: Bernhardus Ascanius, dux Saxoniae. –

22. Segerus, Joh. Theophilus: Quaestiones forenses. Syll. 2.

23. Wenck, Fridericus Aug. Guilielmus, ord. phil. ex decano: De concessione insignium in imperio Romano-Germanico. Programma, quo ad audiendas orationes in memoriam Henrici Bidelii et Seyferti invitat.

1783.

24. Winckler, Carolus Godofredus, dr. ; fac. jur. procancellarius: Corollarium juris criminalis XII et XIII. Programma, quo solemnia inauguralia Johannis Gottliebii Zschaschleri indicit.

25. Winckler, Carol. Godofr.: De juramento religionis.

26. Winckler, Carolus Wilhelmus: De actione spolii.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0007-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0008-8
DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0009-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0010-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0011-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0012-9

1345.
17834.
No: 959.

REGVLAE SI VINCO VINCENTEM TE, VINCO TE IPSVM, PERPERAM IN CONCVRSV CREDITORVM LOCVM DARI.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

D. HENRICO GODOFREDO BAVERO

PROF. COD. ORD. SERENISS. SAX. ELECT. A CONSILL. PROVOCATT. RELL.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXI. IAN. A. C. MDCCLXXXIII.

TVEBITVR

GODOFREDVS FRIDERICVS HILDEBRAND

SCHAFSTAD. THVRING.

LIPSIAE
EX OFFICINA KLAVBARTHIA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0013-5

PERILLVSTRI DOMINO

DOMINO

IOANNI IACOBO

LIBERO BARONI

AB HOHENTHAL

DOMINO HAEREDITARIO

IN DOELCKAV, GVINTHERSDORF KOETSCHLITZ ALTRANSTAEDT HOHENPRIESNITZ RELL.

SERENISSIMO SAXONIAE ELECTORI

A

SECRETIORIBVS CAMERAE

EPISCOPALIS MERSEBVRGENSIS CONSILIIS

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0015-6

Norunt TE omnes Vir Perilluſtris non magis muneris nobilitate, quam virtutum meritorumque magnitudine, excellentem, qui TE propius accedunt, humaniſſimum. Mihique inprimis feliciter contigit, TE noſſe Patronum indulgentiſſimum. Vt iam dudum beneficiis Tuis, nunquam ſatis memorandis, auctus, cupiditate flagrem, quantopere me TIBI deuinctum et omnino TVVM ſentiam, publice profiteri. Sine igitur, hoc primum in forum prodeuntis ſpecimen TIBI ſacrum eſſe, et, ſi quod habet,

a Perilluſtris TVI Nominis inſcriptione capere pretium. Quodſi ſerena fronte, et quaſi teſſeram grati animi, indefeſſas pro TVA gentisque Generoſiſſimae incolumitate preces fundentis, acceperis, habebit, de quo exſultet

VIR

PERILLVSTRIS

NOMINI TVO

addictus

GODOFREDVS FRIDERICVS HILDEBRAND.

Q. D. B. V.

REGVLAE, SI VINCO VINCENTEM TE, VINCO TE IPSVM, IVSTI LIMITES

§. 1.

Si memores et ſolliciti inueſtigatores eſſent ICti eorum, quae PAVLVS in *l. 1. d.* R. I. proponit, *non ex regula ius ſumendum, ſed ex iure faciendam eſſe regulam, brevem quippe rerum narrationem, et quaſi cauſae coniectionem, quae ſimul, quum in aliquo vitiata ſit, officium ſuum perdat,* non obuenirent implicatiſſimi iſti nodi, quibus ex peruerſa et inepta exemplorum ad iuris regulam coactione adeo ſaepius irretimur, vt vix exitum inueniamus. Idem contigit regulae, quam in *l. 14. §. 3. D. d. diuerſ. temporall. praeſcriptt.* SCAEVOLA tradit his verbis, *qui me potior eſt, quum ego te ſuperaturus ſim, multo magis aduerſus te obtinere debet.*

§. 2.

Legis, ex qua haec verba deſumta ſunt, contiguitas ſatis aperte notat, ICtum in mente habuiſſe plures rei alicuius poſſeſſores, quorum alter alteri ſucceſſerit, actionemque ad eam rem conſequendam ei tribuere voluiſſe, cui ea potiſſimum deberetur, contra eum, cum quo nihil negotii interceſſiſſet, ob id, quod haberet actor eum ſibi obligatum, cui reſtitutionem poſſeſſor deberet, et a quo cauſam poſſidendi nactus eſſet. Ex hac iuris ſucceſſione pignoris reſtitutioni Caius obligatur Sempronio, cui Titius ab illo ſibi obligatum pignerauit, non, quod rem oppignoratam poſſidet, ſcimus enim rem alienam pignori obligari non poſſe, verum, quia

Titio

Titio debet, qui a Sempronio ſuperatur. Idemque adeo Caius a reſtitutionis obligatione liberatur, quam primum pecunia Titio ſoluta rem a pignoris nexu liberauit, quia ſolutione obligationis eius ſimul ſucceſſio euaneſcit. Vt tum praeter perſonalem contra Titium actionem, nihil Sempronio iuris ſupereſſe poſſit.

§. 3.

Igitur ſi ponamus, ſeruitutem viae ſub conditione negatiua promiſſam, ſtipulantemque, poſtquam, praeſtita Muciana cautione, exercendi veniam obtinuerat, fundum cum via vendidiſſe ac tradidiſſe: An erit ſucceſſori actio contra promittentem viae exercitium prohibentem? Erit. Non confeſſoria quidem, quia ponimus conditionem adhuc pendere, ſed, quia venditor, cui promiſſor tenetur, emtori obligatur. Vt obtinere debeat ex ICti ſententia, quia potior eſt venditore promittentem ſuperaturo. Contra realis illa obligatio ex conditionis a ſtipulante repromiſſae defectu ſimul euaneſcit.

§. 4.

Habet haec iuris aequitas magnam ſimilitudinem cum illa, cui Praetor actionem Publicianam ſuperſtruxit, qua poſſeſſionem bona fide et ex iuſta cauſa non a domino nactus, rem caſu amiſſam contra infirmiori iure poſſidentem perſequitur, *l. 1. pr. l. 7. §. 11. D. d. Public.* vt vel contra dominum perſequi liceat, cui poſtquam ipſe ex iuſta cauſa tradiderat, eius dominium obuenit *l. 72. D. d. R. V. l. 4. §. 32. d. dol. except.* Videlicet vtriusque actionis, huius, et quam *d. l. 14. d. diuerſ. temporall. praeſcript.* ſuggerit, mater eſt iuris aequitas, quae exigere videtur, vt cuius in re ius potius appareat, ad eam conſequendam actio detur, etſi fundamentum, in quo iure ſtricto nitatur, deficiat. Ob eamque rem ſecundum *d. l. 1. d. R. I.* non inique mihi videor colligere poſſe, vbi nulla ſubeſt temporis acceſſio, ſiue iuris ſucceſſio, quam ſupponit SCAE-

VOLA

VOLA in *d. l. 14.* nec idem aequitatis deſiderium, ipſam regulam vitiari, ſuumque officium perdere.

§. 5.

Patet ex his, quam parum iuris rationi reſpondeat, dum conſpicimus in concurſu creditorum hypothecariorum, quorum ex tribus ordine tertius priuilegio gaudet, primum quidem ſua natura, non item ſecundum ſuperante, praxin perpetuam ad hanc regulam prouocare, et, eius quaſi auxilio, tertio primum, primo ſecundum, ſecundo denique tertium locum aſſignare. Scimus nimirum, noſtro Saxonico Electorali iure, pariter *Conſtit. XXVIII. P. I.* atque *O. P. V. Tit. XLIII. §. I.* vxorem dotis cauſa, caeteros mariti creditores, tacita hypotheca munitos, ſuperare, non item expreſſa. Vt, concurrente creditore, cui ante nuptias fundus rite ſit oppignoratus, et muliere dotem repetente, nemo dubitet, illi prius, dein huic ſoluendum eſſe. Contra, ſi antiquius illo expreſſo pignore debitum adſit, legali non priuilegiata hypotheca nixum, primum doti, ſecundum hypothecae tacitae, tertium hypothecae expreſſae, locum aſſignari, ex conſtante iudiciorum omnium vſu intelligas.

§. 6.

Cuius diuerſitatis ex me ſi quis rationem quaereret, hanc darem, dotis priuilegium iure communi generale eſſe, vt reliquas hypothecas, ex conuentione, an ex lege deſcendant, ſuperet, iſtamque adeo eius ad hypothecas tacitas reſtrictionem, tanquam legem nouam, in concurſu pignorum tacitorum, expreſſo antiquiorum, locum haud iuuenire. Hac vero ratione neminem vti inueneris, vt potius dicant, vxorem, dotem repetentem, ob id, quod hypothecam tacitam antiquiorem ſuperet, ſimul expreſſam ſuperare debere. Nec ſolum fauore dotis, ſed in aliis etiam exemplis, ex obuentu creditoris, qui limitato priuilegio pollet, duorumue priuilegiatorum,

torum,

torum, et vnius non priuilegiati, plerumque tertium priuilegiatum, interdum intermedium, primo loco collocant, ſemper vſi hac regula, quod vincere debeat vtrumque, qui vincat alterutrum, alterum vincentem, vti ſatis prolixe et optime oſtendit BERLICH. *Part. I. Concl. LXXII.*

§. 7.

Verum ipſe BERLICHIVS, eumque ſecutus CARPZOV. *P. I. C. XXVIII. d. 75.* profitentur, iuſtam locandorum creditorum rationem cognoſci ex vſu debere, ex regula noſtra non poſſe, quia, quouis exemplo nobis oblato, quisque ex tribus creditoribus, idem ex illa contra reliquos videatur habere praeſidium, ſenio primus, vt tertium ſuperet, quod ſecundum antecedit, ſecundus, vt primo praeferatur, quia tertium illo potiorem praeit, tertius denique, vt cum primo ſimul ſecundo anteponatur. Et ſane verum eſt, ex hoc vno, quod ſingulis aeque patrocinatur, apparere, patrocinari eam nemini poſſe, fraudemque legibus facere, qui ex illa creditorum priuilegia metiatur.

§. 8.

Neque id mirum, quum ſupra viderimus, noſtram regulam ſupponere iuris quaeſiti translationem, ceſſionemue, et quaſi quandam iurium ſcalam, per quam, qui iure per intermedium fruitur, ad eum, a quo primum exiit, aſcendat, vt vel ſoluere, vel poſſeſſione cedere, iubeatur, quanquam petitori non promiſit, quia ſuo creditori promiſit, quem is ſibi habet obligatum, vſque dum ſoluendo primus debitor ab ſua obligatione ſe liberauit. Idemque in quauis iurium ceſſione contingit. Ex qua ſcimus debitorem ceſſum a ceſſionario recte conueniri, eundemque ex ſolutione cedenti bona fide praeſtita iuſtam habere contra ceſſionarium defenſionem. Habetque actio pariter atque exceptio ob id locum, quia cedens ac ceſſionarius vnam quaſi perſonam conſtituunt. Sed longe

alia

alia res eſt in concurſu creditorum, quorum quisque diuerſo iure ingreditur, et quorum omnium, quotquot de damno vitando certant, et, quod ſuum eſt, repetunt, dum eadem eſt conditio, idem debet eſſe fauor, quatenus non lex ciuilis vni alteriue prae reliquis patrocinatur. Cuiusmodi exemtiones quis facile putauerit vltra legis litteram ampliandas?

§. 9.

Quam ob rem, quum noluit Llator, creditorem, cui pignus expreſſum acceſſit, a dote poſtea ſuſcepta ſuperari, aeque minus voluiſſe exiſtimandus eſt, vt anteceſſores eius ſuperentur, vt que hos ſuperando ſimul per circuitum ſuperetur, quem ſuperari prohibuerat. Vt potius propter hanc circumſcriptionem neque directo neque per indirectum dotis privilegium antiquiori hypothecae expreſſae obeſſe debeat, huiusque adeo interuentione tota res ad naturalem temporis ordinem redire. Quem enim in cauſa ſimili Pontifex in *cap. VII. d. Conceſſ. Praebend. in 6to* ordinem conſtituit, vt ſecundo primum, tertio ſecundum, primo denique tertium locum tribuat, ob cauſas modo memoratas aeque minus probo, quanquam ab vſuali, quam adduxi, creditorum deſignatione in eo differt, vt haec in primum et ſecundum creditorem, Pontificis decretum vero ſolum in eum, qui tempore primus ad beneficium vocatur, ſit iniuria.

§. 10.

Quae hactenus diſputaui, non attuli propterea, vt dotium iura, fori vſu peruetuſto aucta et ſtabilita, imminuam. Vt ſolum demonſtrem, ſpurium eſſe, cui innititur praxis, principium, et creditorum iura in concurſu ex lege, vel conſuetudine cognoſcenda eſſe, ex noſtra regula iudicari, vel conſtitui nunquam poſſe. Huic meo hac de re iudicio, in duabus cauſis haud ita pridem Senat. Prouocatt. ſua ſententia acceſſit.

§. 11.

Claudiae impuberi Sempronius tutor datus, auctore Iudice, aedes ſuas pignori expreſſe obligauerat, idemque dein a Meuia vxore ducta dotem acceperat. Poſt Sempronio bonis lapſo, haeres Claudiae pecuniae pupillaris reſiduum, Meuia dotem repetebat. Vrgebat ille praeter tacitam hypothecam, ex quo Sempronius tutor datus fuerit, enatam, ſimul pignus expreſſum in aedibus conſtitutum, antiquius pignore dotem concomitante. Contra haec ex priuilegio anteferri flagitabat, quod, ſuperando tacitum pignus cum vniuerſa tutoris ſubſtantia aedes comprehendens, ſimul expreſſum ſe ſuperare exiſtimabat. Senatus haeredi Claudiae ex aedibus pigneratis, antequam de dote reſtituenda laborari poſſit, iudicauit, eſſe ſoluendum. Quod eſt veriſſimum. Quam enim contra iuris rationem, vti probaſſe mihi videor, obtinuit ex fori vſu noſtra regula in concurſu creditorum auctoritatem, minime debet vltra limites vſu confirmatos ampliari. Vſus patrocinatur vxori, ſi duo concurrant, inter quos ſenio potior dotis priuilegio concedit. Adeſt vnus, tacito pignore infirmior, idemque potior expreſſo, quo ſimul gaudet, et quod, vt melius firmiusque pupilli ſecuritati conſulatur, iudex adiecit. Huic ſi ob taciti pignoris acceſſum nihil efficaciae tribuere velimus, oporteret, lege duriorem eſſe, quae duobus mediis, in obtinendo fine auxiliantibus, ſinit, cumulatiue vti, pupillum ipſo ſuo gladio iugulare, et, quod, nullo iure prohibente, conſilio maxime laudabili iudex pupilli fauore fieri curauerat, in eius odium detorquere, adeoque, moniti Pauliani in *l. 14. d. LL.* immemores, contra iuris rationem receptum ad conſequentiam producere, ipſo recepto, iuris rationi magis reluctantem.

§. 12.

§. 12.

Alterum, idemque magis illuſtre, cuius memini, exemplum, hoc eſt. Impar creditoribus Dietericus, praedii poſſeſſor, bonis ceſſerat, et euenerat, vt in ſententia deſignatoria poſt venditorem, cui reſiduum pretii ex fundo debebatur, collocarentur, quibus ipſe venditor fundum obligauerat, vltra triginta numero, habita inter hos temporis ratione. Inter hos anteceſſoris creditores, alii, quod parum venditori debebatur, nec imminebat iacturae periculum, tacuerant, aliis, non ob tempore priorum, ſed ob venditoris, praelocationem prouocantibus hanc opem ſecunda tulerat ſententia, vt eos, locis antea aſſignatis exemtos, ſecundum ordinem temporis, quo alter alterum praecedebat, venditori, in ſecunda claſſe conſtituto, praeponeret. Qua poſteriore ſententia quum id efficeretur, vt primum prouocantibus, dein venditori, denique antiquioribus contra primam locatoriam non inſurgentibus ſolueretur creditoribus, iam hi querebantur, et Supremi Prouocatt. Senatus implorabant auxilium, cauſam querelae hanc inprimis interſerentes, primam ſententiam, quod contra ius in theſi eſſet, nihil efficere poſſe, nihilque adeo reſiſtere, quominus tota res ad ordinem legitimum reduceretur. Primo repulſam ferebant, quod videbatur, nullitatis, neque ex mandati neque citationis defectu profectae, querela, elapſo termino Saxonico, deſerta, adeoque venditori patrocinari res iudicata, caeteris, quod venditorem ſua prouocatione ſuperaſſent.

§. 13.

Re vero poſt iteratas preces iterum perpenſa, apparebat, poſſe ac debere conquerentibus opem ferri. Nimirum, qui contra primam ſententiam prouocauerant, omnes, debita ex fundo antiqua, id eſt, a Pomponio venditore contracta vel ſuſcepta poſtulantes, petierant, vt reſiduum pretii in locum iure competentem remitteretur, non, vt aliis ob ſenium pignoris praece-

 den-

dentibus anteferrentur. Quod quum non petiiſſent, iudicatum erat, antiqua debita ſecundum aetatis ordinem eſſe ſolvenda, et ob id notanda et corrigenda ſententia reformatotia, quatenus, prouocantes inter primam et ſecundam claſſem collocando, per indirectum, et vltra, quod petitum fuerat, potiori iure munitis antepoſuerat. Dein ob omiſſam ſuſpenſionem prioris ſententiae aeque pro iudicato habendum erat, quantum Pomponio deberetur detrahi debere, antequam de dimittendis creditoribus, qui acquieuerant, ageretur. Laborandumque adeo de conciliatione duorum iudicatorum.

§. 14.

Concluſionem hanc egregie commendabat ſuſtinebatque PAVLI reſponſum in *L. III. Quaeſtion.* ſiue *l. 16. qui potior. in pign.* exitus vero ex hiſce difficultatibus, ob tot creditorum, quorum alii ab initio prouocauerant, alii non, concurſum, non aeque apertus, ac in exemplo Pauliano, tres creditores comprehendente. Hoc erat expeditum, pecuniam Pomponio debitam tribui debere creditoribus, qui primam ſententiam impugnauerant, pignoris ſenio reliquos ſimul prouocantes ſuperantibus, iisdemque infirmiori iure fruentibus, quam ii, qui prouocare neglexerant. Contra, quominus Pomponius ſuum reciperet, ex perſonis ſibi ſurrogatis, caeteri ſimul prouocantes ipſo non minus potiores habiti impediebant, quemadmodum, ne his illud adiiceretur, occlamabant primae ſententiae ſubſcribentes, quibus pecuniae Pomponio debitae ſimplum ex iudicato, non duplum, decreuerat, et, ne plus ſimplo decreſceret, ordo inter antiqua dêbita, eodem iudicato ſtabilitus effecerat. Videbatur igitur ex PAVLI ſententia, in dicta *l. 16.* ne inter alios iudicatum alii prodeſſet, nihil aliud effectum prima prouocatione, quam, vt Pomponius excluderetur, nequaquam, vt in excludentium locum, ob interuentionem aliorum acque prouocantium, eorundem aliis tempore potioribus, poſt-

poſtpoſitorum, ſuccederet, ſuumque adeo, poſt dimiſſos demum antiquos creditores omnes caperet.

§. 15.

Idque Senat. Prouocatt. his verbis expreſſit, *Daſs* NN. *und Conſ. nicht nach der 1ſten und noch vor der 2ten* Claſſe *in Anſatz zu bringen, ſondern es iſt der Betrag derer in der 2ten* Claſſe *angeſetzten Poſten zu Befriedigung* NN. *dann* NN. *ferner* N. N. *endlich* N. N. *in ſoweit es dazu hinreichend, zu verwenden; Jm übrigen aber es bey denen erkannten* Locationen *zu laſſen, und* Pomponio *das für ſelbigen in der 2ten* Claſſe *ausgeſetzte nach der 35ſten und noch vor der 36ſten zu reichen.* Additis ratt. *Dieweil, wenn ſchon in dem erſten* Locations-*Urthel die in der 2ten Claſſe erwähnten Poſten daſelbſt als unbezahlte Kauf-Gelder, kraft vorbehaltener, und gerichtl. beſtätigter* Hypothec, *und die in der 3ten biſs zur 35ſten, als Schulden, ſo auf dem Guthe, ehe es der Gemeinſchuldner an ſich gebracht, gehaftet, aufgeführt worden, mithin dieſes Erkenntniſs, nach Jnnhalt der l. 19. d. Appellatt. und l. 1. §. 2. quae ſentent. ſine appellat. ingleichen l. 2. C. quand. prouoc. n. eſt nec.* pro ſententia contra ius in theſi lata *allerdings zu achten, gleichwohl* NN. *da ſie es bey der* Location *bewenden zu laſſen ſich erklähret, und* NN. *da er dem 38ſten Tit. der Chfſtl. Sächſiſchen Pr. Ordnung zu Folge die* Nullitaet *binnen Sächſiſcher Friſt anzuziehen unterlaſſen, erwähnte* Sentenz *ihrer theils ausdrücklichen, theils ſtillſchweigenden* Ratihabition *halber zwar fernerweit als nichtig keinesweges anziehen mögen, jedoch nurerwähnte* Ratihabition *nicht zugleich die Folge nach ſich ziehen kann, daſs* Appellanten *obliegen müſste, alle wieder ſolches Urthel in Anſehung der unrichtigen* Location *derer unbezahlten Kaufgelder beſchwehrde führenden, ihnen nach der Zeit der erwachſenen* Hypothec *nachſtehenden und würklich nachgeſetzten Mitgläubiger, zu Folge der Rechts-Regel,* ſi vinco

co te vincentem, te ipſum vinco, *ſich vorgehen zu laſſen; Angeſehen nach der l. 16. qui potior. in pign. letzterwähnte Mitgläubiger durch die gebrauchten Rechts-Mittel zwar* Pomponium *von dem ihm zur Ungebühr angewieſenen Orthe ausgeſchloſſen, daſs ſie aber allerſeits an deſſen Stelle zum Nachtheil gegenwärtiger* Appellanten *befriediget werden müſsten, um ſo weniger mit Rechtsbeſtande verlangen mögen, jeweniger ſie wieder deren* Location *etwas erinnert, folglich ihnen dieſsfalls die Ausflucht der bereits rechts kräftigen Entſcheidung nicht weniger im Wege ſtehet; Und denn hieraus zugleich die Folge erwächſet, daſs zwar* NN. *den Betrag derer in der 2ten* Claſſe *angeſetzten Poſten, ehe ſie einige Bezahlung verlangen mag, wegnehmen laſſen muſs, dagegen — — — wenn deren Betrag* abſorbir*et, es im übrigen bey der theils in Vol. VIII. erkannten, theils in gegenwärtiger* Sentenz *abgeänderten* Location *verbleibet, und* Pomponio *die ihm gebührende Zahlung nicht eher, als nach der 35ſten* Claſſe, *wie gleich Anfangs geſchehen ſollen, angewieſen werden mag, allermaaſsen, wenn ſelbigem die Stellen derer ihm* ſubſtituirt*en Gläubiger angewieſen werden wollten, ſolches offenbar in die Rechte derer gleich Anfangs* appel*lirenden, und ihm* de iure *vorgehenden Mitgläubiger eingreiffen würde, ſo iſt etc.*

ULB Halle 3
002 802 503

Sb.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0029-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0030-9

17834.
No: 959.

REGVLAE

SI VINCO VINCENTEM TE, VINCO TE IPSVM, PERPERAM IN CONCVRSV CREDITORVM LOCVM DARI.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

D. HENRICO GODOFREDO BAVERO

PROF. COD. ORD. SERENISS. SAX. ELECT. A CONSILL. PROVOCATT. RELL.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXI. IAN. A. C. MDCCLXXXIII.

TVEBITVR

GODOFREDVS FRIDERICVS HILDEBRAND

SCHAFSTAD. THVRING.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-190723-p0031-5